



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXVIII. Stulta, menti restituta.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

primo. Hanc, ait, Pater sanctissime Itane? & pro recitato semel; Pater, & Ave, tantum mihi abs te gratia ac boni? ad qua Ignatius, fili mi, intulit, paruo contentus sum, & sereno intuitu, miraque beneuolo dignatus, videri desit: atque hinc Alfonso humi prouolutus gaudens, & lacrimans noctis reliquum exigit. Mane aduolat ad Rectorem, postulationes damnat stultas, & fatuas, quibus tam proterue Societatem fatigasset, quas deinde poenis vlroneis grauibus eluere sategit, quoties vero in posterum, obiecta species, & S. Ignatij verba in mentem redirent, toties in lacrymas totus soluebatur.

Ioanni Parentio Mutinensi, annorum duodecim, puero, cruenta excretionis labor, tabida febris, & medicaminum diuturnus, biduum vitæ reliquerant, vt quidem medici diuinabant, credebaturque quantocyus animam acturus, cum à patruo suo Societatis Sacerdote inuisitur, doceturque votum Ignatio ad seruandam vitam nuncupare. Ille, promitto, inquit, Beate Ignati, si per te incolumis euasero, & Deo placuerit mentem religiosæ vitæ mihi iniicere, me Societatem initutum. Interea Romam ad sepulchrum tuum, beneficij monumentum ex argento missurum. Verborum hic fuit, & mali finis. Moritur febris, redit corpori vigor, surgit paulò post cum sodalibus pueris lufurus. Eidem cum triennio post cœnanti spina faucibus transuersa intercluderet animam, mater intuens singultantem, remedio quo nullum habebat præsentius succurrit. Fauces signat reliquiis S. Ignatij, adolescens mente Ignatium inuocat, moxque gestiens exclamat mater, spinam S. Ignatius, & periculum abstulit, & abstulerat reuera, nec enim aut illam eiecerat, aut deglutierat iuuenis, reperiri tamen diligenter quæsitæ non potuit.

Campi Gaiani rustica puella in agro Mutinensi, primum phrenitide, post mente quoque omnino capta est, atque vbi furor eam inuaderet, egebat custodia diligenti, ne manus aut sibi, aut aliis inferret. Huius vicem dolens Mutinensis Matrona, vsaque prudenter interuallo, quo mali accessus resederat, hortatur, vt semel quotidie oratione Christi, & Virginis salutatione S. Ignatij merita veneretur, seque ad hoc præstandum quamdiu viueret, voto apud Deum obstringat: vouet illa, seu mater potius præstituram se votum pro illa suscipit; demum à matrona reliquiis S. Ignatij signata ita conualefcit, vt nihil exinde phreneseos, aut emotæ mentis prætulerit.

Gaspar Marefcianus, Catanzari pauperum patronus, duobus filiis tutelarium ciuitatis indiderat nomina, Fortunati, & Vitaliani; tertio, si hunc susciperet, nomen seruabat Irenei; inter vrbis præsides tertij. Cum autem vxore partui vicina è nostris adiutor fortè domum intrasset, illa tertium hunc partum ei plurimum commendauit, vt felicem à Deo impetraret. Frater preces modestè pollicitus, significauit S. Ignatium in fortunandis partibus esse mirabilem, illum inuocaret, sponderetque se, si foret masculus Ignatij nomine dicturum, nisi quid fecus forsitan decreuisset. Promittit paritque feliciter, & ex promissi fide infantem vocat Ignatium; pater

G G g flocci

XXVII.

Febri tabidus sanatur.

XXVIII.

Stulta, menti restituta.

XXIX.

Respondet infans velle se vocari Ignatium.